



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 123. Sessio XLII. Basileensis Concilii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. quem nonnisi duo Cardinales præstant,
 A.C. 1440. & Dertusensis ac Vicentinus Episcopi Dis-
 conorum ministerio fungebantur.

§. CXXII.

*Judæi Felici librum legis suæ
 offerunt.*

Eadem occasione Judæi Legis suæ li-
 brum offerebant: Felix legem qui-
 dem multis elogiis celebrabat, gentis
 vero hujus superstitionem ac cæcitatem
 diris devovebat. Demum obviam ha-
 buit Ordinis Prædicatorum Priorem, Re-
 ligiosorum suorum corona cinctum, qui
 Felicem ad suum monasterium conduce-
 bant, illiusque claves coram Altari po-
 sitas eidem porrigebant. Hac ratione
 solemnitas ista supplicatio nonnisi tertia
 pomeridiana absoluta est.

§. CXXIII.

Sessio XLII. Basileensis Synodi.

Labb. Conc. Cum Felix, Eugenio Papa patrimonium
to 12 p. 644. S. Petri possidente, nullos omnino
Et tom. 13. proventus ex suo Pontificatu percipere
p. 1585. posset, aliunde vero impendiis haud exi-
 guis ad tuendum dignitatis suæ decorem
 indigeret, hinc Basileenses in quosdam
 succurrendi modos diu inquirebant, tan-
 dem vero in publica Sessione quadrage-
 sima

fima secunda die quarta Mensis Augu- Sæcul. XV.
 sti celebrata, per decretum *irrefragabile* A.C. 1440.
 (ita ab Augustino Patricio dictum) com-
 muni calculo, non obstantibus quibuscun-
 que aliis decretis (*) statuebant, quod
 Felix, cum de patrimonio D. Petri nullam
 adhuc subventionem haberet, gravia tamen
 & importabilia expensarum onera pro u-
 tilitate Status Ecclesiastici subire cogere-
 tur, primis quinque Pontificatus sui
 annis quintum denarium valoris annui
 ex quibuscunque beneficiis ecclesiasticis,
 sive sint sæcularia, sive regularia, mayo-
 ra vel minora, item ex omnibus Archie-
 piscopalibus, vel Episcopalibus Ecclesiis,
 Abbatiis, Prioratibus, Canonicatibus, at-
 que Parochialibus Ecclesiis, aliisque be-
 neficiis, exceptis hospitalibus, ac pau-
 perum Xenodochiis, exigere valeret. Se-
 quenti vero quinquenio duntaxat deci-
 mum

(*) *Professio egregii Reformatores Eccle-
 siæ in Capite & in membris, qui paulo ante
 Annatas in Eugenio damnantes, nunc ad Idoli
 sui cultum easdem & longe graviores decer-
 nunt, non obstantibus propriis eorum decretis,
 quibus si reformationi Ecclesiæ, uti iussit, ar-
 adeo necessaria fuere, derogare non potuerunt,
 sin minus, legitimo Pontifici Annatas aut si-
 miles proventus abjudicando peccaverunt.*

Sæcul. XV.

A.C 1440.

mum denarium collectoribus per Beneficiatos pro ipso persolvendum statuerunt, sub poenis ac censuris Ecclesiasticis. Consentiebant insuper, sed nonnisi de summa eorum benignitate, ut Felix, si quæ natio, regnum vel Provincia modum provisionis hujusmodi ratum non haberet, perceptis eorum rationibus cum illis convenire valeat. Præterea Germanis indulgebant, ut beneficia, quorum preventus, necessariis oneribus deductis, quinque marcas argenti annuas non excederent, prædicto eorum decreto non comprehenderentur.

Attamen Felix nec Papali diademate, nec redituum subsidio, quo suam dignitatem tueri posset, contentus erat, sed insuper omni ope & opera comitebatur, ut a Christiani orbis Principibus verus Papa agnosceretur, probe intelligens, se absque eorum obedientia nonnisi inerte, ridiculum atque inane Phantasma futurum. Hinc Basileensis Synodi Patres ad conciliandos ei Principum animos nullum non movebant lapidem: cum Eugenius quoque omni studio Monarchas suæ fidei devotos conservare adlaboraret.

§. CXXIV.